

CLASSICS PART IB, LATIN LANGUAGE

MICHAELMAS TERM, WEEK 6

1. Translate:

Quintilian dispenses valuable parenting advice.

igitur nato filio pater spem de illo primum quam optimam capiat: ita diligentior a principiis fiet. falsa enim est querela, paucissimis hominibus vim percipiendi quae tradantur esse concessam, plerosque vero laborem ac tempora tarditate ingenii perdere. nam contra plures reperias et faciles in excogitando et ad discendum promptos. quippe id est homini naturale, ac sicut aves ad volatum, equi ad cursum, ad saevitiam ferae gignuntur, ita nobis propria est mentis agitatio atque sollertia: unde origo animi caelestis creditur. hebetes vero et indociles non magis secundum naturam hominis eduntur quam prodigiosa corpora et monstris insignia, sed hi pauci admodum fuerunt. argumentum, quod in pueris elucet spes plurimorum: quae cum emoritur aetate, manifestum est non naturam defecisse sed curam. "praestat tamen ingenio alius alium." concedo; sed plus efficiet aut minus: nemo reperitur qui sit studio nihil consecutus. hoc qui perviderit, protinus ut erit parens factus, acrem quam maxime datur curam spei futuri oratoris inpendat.

ante omnia ne sit vitiosus sermo nutricibus: quas, si fieri posset, sapientes Chrysippus optavit, certe quantum res pateretur optimas eligi voluit. et morum quidem in his haud dubie prior ratio est, recte tamen etiam loquantur. has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur, et natura tenacissimi sumus eorum quae rudibus animis percepimus: ut sapor quo nova inbuas durat, nec lanarum colores quibus simplex ille candor mutatus est elui possunt. et haec ipsa magis pertinaciter haerent quae deteriora sunt. nam bona facile mutantur in peius: quando in bonum verteris vitia? non adsuescat ergo, ne dum infans quidem est, sermoni qui dediscendus sit.

(Quintilian)

2. Prepare:

Tibullus asks a statue of Priapus, the Phallic God, how he manages to attract pretty boys, and in return receives some useful pederasty advice.

'Sic umbrosa tibi contingent tecta, Priape,
ne capiti soles, ne noceantque nives:
quae tua formosos cepit sollertia? certe
non tibi barba nitet, non tibi culta coma est,
nudus et hibernae producis frigora brumae, 5
nudus et aestivi tempora sicca Canis.'
sic ego; tum Bacchi respondit rustica proles
armatus curva sic mihi falce deus:
'O fuge te tenerae puerorum credere turbae,
nam causam iusti semper amoris habent. 10
hic placet, angustis quod equom conpescit habenis,
hic placidam niveo pectore pellit aquam,
hic, quia fortis adest audacia, cepit; at illi
virgineus teneras stat pudor ante genas.
sed ne te capiant, primo si forte negabit, 15
taedia: paulatim sub iuga colla dabit.
longa dies homini docuit parere leones,
longa dies molli saxa peredit aqua;
annus in apricis maturat collibus uvas,
annus agit certa lucida signa vice. 20
nec iurare time: Veneris periuria venti
inrita per terras et freta summa ferunt.
gratia magna Iovi: vetuit pater ipse valere,
iurasset cupide quicquid ineptus amor,
perque suas inpune sinit Dictynna sagittas 25
adfirmes crines perque Minerva suos.

(Tibullus)